Jahresbericht

der

Nicolaischule zu Leipzig

von Ostern 1837. bis dahin 1838.

wodurch zur

Redefeierlichkeit

einiger auf die Universität abgehender Schüler

in dem Versammlungssaale der Anstalt

am 18ten Mai 1838. Vormittags 9 Uhr

feierlich einladet

der Rector des Gymnasiums

Karl Friedrich August Nobbe

der Philosophie Doctor und an der Universität außerordentl. Professor,
mehrerer gelehrten Gesellschaften Mitglied.

Praemissa est Guil. Iulii Hempel, Phil. D. et Coll. III. oratio: *Quantum religio apud Graecos ad virtutis studium moderandum valuerit.*

Leipzig 1838,

gedruckt bei Wilh. Staritz, Universitätsbuchdr.

Antiquo [a]) more ac ritu institutum est, ut quicumque praeceptoris munere in gymnasiis ornarentur, in ipso munere suscipiendo solemni uterentur oratione, qua et mentem erga patronos gratam et amicam in collegas voluntatem et amorem discipulorum sincerum ac purum profiterentur. Cui quidem dicendi officio licet equidem non solum libens paream, sed etiam pro animi grati sensu sponte mea satisfaciam, tamen non habeo, cur negem, tantum eloquentiae mihi detrahere verecundiam, quantum studii afferat mihi beneficiorum in me collatorum conscientia. Quaecumque enim summam admirationem iustamque venerationem habere et commovere solent, quae animum timidum reddere et multum perturbationis afferre possunt: ea mihi dicere incipienti hodie sese offerunt. Verba enim mihi facienda sunt in loco hominibus eruditissimis et liberalissimis studiis affluenti; huius amplitudo in memoriam mihi reducit magna ingenia virorum, qui inde a prima origine huius scholae celeberrimae usque ad nostram aetatem in ea vel docuerunt vel didicerunt, qui ingenii facultatibus, elegantia doctrinae, bonarum artium monumentis non solum patriam suam illustrarunt, sed apud omnes fere gentes culti sunt et celebrati. Haec vero huius scholae ornamenta, hos, qui adsunt, doctores lectissimos eximia doctrinae laude et summa ingenii gloria florentes me in-

tuentem non commoveri, tanti id quidem est animi, ut in hanc meae constantiae mediocritatem cadere non possit. Quod nisi adessent adolescentes carissimi eo tantum consilio in hanc litterarum communionem a parentibus deducti et congregati, ut in omni elegantioris doctrinae copia summum studium collocarent iustamque litteras tractandi rationem cognoscerent, profecto non sperarem, posse me huic coronae auditorum et sapientia et ingenio insignium apti quid et grati proponere. Sed quum omne vitae tempus ad animos adolescentium recti venustique sensu excolendos conferre mecum constituissem, ab hoc vitae degendae consilio ne hodie quidem recedendum esse duxi et docere discipulos, quantum inter Graecos ad animos populi probitatis pietatisque amore imbuendos eius religio valuerit, satius mihi visum est, quam inchoare quaestionem nec dignam exspectatione virorum mihi assidentium et propter temporis brevitatem vix iusta responsione absolvendam: discipulorum autem mentibus hanc habui aptam, partim, quod ipsos saepenumero mirantes audiebam et quaerentes, quid Graecorum religio eorum moribus potuisset prodesse, partim, quoniam in huius natura accurate describenda Homeri imprimis, quem potissimum legerent, aliorumque poetarum ipsis non ignotorum opiniones esse respiciendas putabam: eorum enim carmina, quae quotidie Graeci in ore habere solebant, ad notiones deorum in animis hominum et formandas et alendas maxime valuisse, vix est, qui neget [b]). Qua quidem in re tractanda si praeterea ad augendam huius religionis dignitatem auctoritatemque pluribus verbis exponere vellem, quam pulchrae et lepidae fuerint Graecorum de rebus divinis fabulae, quanta non solum poetarum usui et carminibus

attulerint ornamenta, sed quam iucundas etiam gratasque vitae priscae imagines in animo cuiusvis hominis excitaverint, non modo satis nota decantare et trita repetere, verum etiam, quae quisque per se sentiret, meis verbis describere iure censerer: quem enim fugiat, hanc Graecarum fabularum pulchritudinem tantam esse, ut qui se vel poetam vel artificem profiteatur, earum nitore et splendore in faciendis carminibus tabulisve pingendis etiamnunc vix carere possit? Sed licet haec ita sint, aliud tamen iudicium faciendum multis videbitur, si earum lepore ac venustate satiati et expleti interrogabimus, qualem ad mores pietate ornandos utilitatem attulerint illae Graecorum religiones, quarum plurimae ad horum probitatem augendam non solum nihil contulisse, sed ipsi virtutis, fidei, iustitiae, continentiae notioni omnino repugnare videantur [c]). Nec vero nos tantum, quorum ingenia Christi de rebus divinis doctrina melioribus ac purioribus de deo eiusque natura sententiis assueverunt, quam ieiuna ac perversa saepe sit poetarum antiquorum de diis sentiendi ac cogitandi ratio, animadvertimus doloremque inde suscipimus: sed inter ipsos etiam Graecos, qui ingenii acumine excellebant et sagacitate philosophandi eminebant, satis, qualia et quanta essent harum religionum vitia, intellexerunt. Nam ne Pindari auctoritate [d]) utar, qui tum commenta opinionum a poetis de diis artificiose compositarum censet vituperabilia atque ad homines decipiendos apta, tum e vita deorum ea, quae sint his deformitati, reiicere et tollere non dubitat: maioris sane momenti erit commemorasse Xenophanem, Pythagorae aequalem, a quo Homerum et Hesiodum, quod deorum numina omnibus hominum sceleribus dedecoraverint, graviter esse vi-

tuperatos Sextus Empiricus in libris adversus Mathematicos tradidit [e]): at sententiam de his poetarum ineptiis severissimam tulit sine dubio is, quem et poeticam maximi fecisse et mitem in iudicio de aliorum dignitate exercendo fuisse negare nequimus, gravissimus auctor Plato; statuit enim in republica coercendam esse poetarum lasciviam in describendis deorum moribus atque indignis eorum sanctitate fabulis abiectis eas tantum esse retinendas et in adducendis puerorum ad pietatem animis adhibendas, quae et purae et a moribus scelere contaminatis essent integrae [f]). Quid quod apud Athenienses ii, quibus educandi ratio iusta curae cordique erat, ne ullo libidinis exemplo puerorum carmina poetarum lectitantium animi corrumperentur, ea contrahenda et ab omnibus turpium voluptatum illecebris purganda censebant? (Plat. de Legg. VII, 366. e. 367. a. ed. Bip.) At vero, tametsi discrepantia bonorum morum et narrationum de factis deorum magna est nec summo ingenii acumine plane potest removeri, tamen, ubi accurate quaesiveris, multa, quae imprimis pro natura sua deorum numine indigna videantur a vera religione amandanda, arctius cum bonis Graecorum moribus fuisse coniuncta cognosces, quam primo adspectu putaveris. Maximus enim error in ea religione, quae a populo Graecorum in ore habebatur, in eo positus videtur fuisse, quod cum forma humana humanam sentiendi agendique rationem tribuerent diis poetae, qui hos et libidinibus et altercationibus deditos fingerent atque ad omnes mentis tranquillae perturbationes ex sensuum illecebris orientes haberent proclives. Sed primum his poetarum aliorumque de natura deorum commentis non semper ne ab ipsa quidem plebe fidem esse habitam, cum ex proverbio satis noto, quo poe-

tae non magnopere veritatem curare arguantur [g]), apparet, tum ex Senecae loco intelligitur, quem ob perspicuitatem integrum commemorasse iuvabit: poetarum, inquit auctor libri de vita beata (cap. 25.), alius Iovi O. M. alas imposuit, alius cornua; alius adulterum illum induxit et abnoctantem, alius saevum in deos, alius iniquum in homines; alius raptorum ingenuorum corruptorem et cognatorum quidem, alius parricidam et regni alieni paternique expugnatorem: quibus nihil aliud actum est, quam ut pudor hominibus peccandi demeretur, si tales deos credidissent. Negat igitur Seneca poetas talia de diis praedicantes fide dignos ab aliis fuisse aestimatos et plerosque antiquioris aevi homines eorum festivitatem et de natura deorum dicendi licentiam, in quam, quum humanis corporibus praeditos hos crederent, facile deferebantur, a iusta de rebus divinis statuendi ratione discernere solitos esse affirmat; itaque hae ipsae ingenii poetarum nugae certe non multum detrimenti in mores conferre potuerunt [h]). At vero nonnihil etiam utilitatis videntur habuisse illae descriptiones deorum ad humanae naturae similitudinem expressae, quod Graeci, quum deos humani animi corporisque viribus et facultatibus modo perfectioribus praeditos cogitarent, hos ad imitandum quasi propiores habuerunt: quibus enim utpote subtili philosophiae doctrina nondum excultis in moribus recte instituendis certe non magnum commodum attulissent de deo omnibus numeris absoluto et perfecto praecepta, in iis simulacra deorum virtutum communione cum optimis hominibus iunctorum hanc perfectionem aemulandi studium ita incendebant, ut ex humana deorum natura suam ipsorum corrigere et meliorem reddere facilius conarentur [i]). Porro quum Graecorum dii a clarissimorum hominum

similitudine non multum decederent, ipsi colendi erant iis donis et muneribus, quae nobilissimis hominibus optime placuissent [k]); Graeci igitur non admodum cogitaverunt de diis hominum sanguinem [l]) sitientibus, non venerati hi numina virginum flore [m]) placanda, non delati in illum deorum cultum, nec diis neque hominibus dignum, cui praeter alios Ponti, Phrygiae, Syriae, Babyloniae habitatores se dediderunt: qui quum omnem sentiendi et cogitandi finem et modum naturam divinam transire arbitrarentur, nescii, quid sat magni honoris numini offerrent, in illas exsecrabiles religiones inciderunt, quarum utrum dementiam et furorem an vitiositatem magis horreas vix dixeris. Nec si Graecorum de diis sentiendi rationem in ipso populo obviam accurate spectaverimus, iustitiam secundum huius sententiam indoli divinae defuisse statuemus, auctore usi Homero, qui quam sint invisa diis scelesta facta, gratum autem et acceptum pietatis et aequitatis studium, praedicantem in Odyssea facit Eumaeum: quam ob caussam factorum et praemia et poenas ab iis tribui hominibus Graeci censuerunt atque in ipsa hac terra bonos probitatis fruges percipere, de gradu dignitatis male partae malos deiici [n]) contenderunt: quin etiam ne minimam quidem actionem seu honestam seu inhonestam Iovis oculos effugere crediderunt. Quam fuerint communes omni Graecorum antiquitati hae de divina iustitia sententiae, multis argumentis vel ex carminibus epicis vel ex tragicorum fabulis comprobare mihi non venit in mentem; sufficiat commemorasse totius carminis errores Ulixis et amorem Penelopae fideliter servatum describentis robur positum esse in poena tandem procos assequente similiterque Herodotum imprimis interitum malorum et superbo-

rum necessarium divino numine acceleratum voluisse depingere °). Quantae autem post mortem poenae homines nefarios in Tartaro, quanta in Elysio vitae integritate insignes praemia manserint, poetas nitidis artis suae coloribus usos exposuisse, nisi ad ipsum rei argumentum pertineret, ne verbo quidem tangerem p). Est enim certum, omnes de divina in iure exercendo diligentia cogitationes, quamquam nec perfectas neque ingenio acuto dignas, magnam tamen in hominibus a pravitate avertendis et deterrendis vim habuisse moribusque eorum profuisse. Quodsi quis dicat, ipsis Graecorum opinionibus de remuneratione virtutum et scelerum damnatione deesse id, quod in notione culpae ac meriti imprimis desideretur, agendi scilicet et vivendi libertatem, opinione de fato iis ereptam, qua quidem libertate demta omne recte faciendi studium exstingui et dilui necesse esse: hunc quae quodammodo vera videri possint, mihi obiicere non infitior. Negari enim non potest, Graecos, ubi oculis mentis libidine vel ira praestrictis de agendi ratione cogitare et momenta officiorum perpendere desierint, se quasi non sui iuris esse, neque ad suum, sed ad deorum arbitrium agere pro certo habuisse. Sic Agamemnon (Il. XIX, 85—89. coll. II, 375 sq.) ut unum exemplum promam de multis, cum ob iniuriam Achilli illatam et natam inde Graeci populi calamitatem coram concione purgare se et excusare conaretur, non se in culpa esse, sed Iovem ait et cum fato Furias, a quibus concitatus Achillem dono ab Achivis ipsi dato privavisset. Quid quod eo huius opinionis compositio processit, ut excogitarent Aten deam q), quae insidiis homines circumveniret et ad peccata committenda per ambages induceret. Sed tantum abfuit, ut Graeci ea religione

abusi hac excusarent et fucarent mala consilia, antequam perfecta essent, ut partim prima iniuste faciendi consilia ipsi hominis voluntati tribuenda censerent, partim quemvis qualicumque fato in his terris collocatus esset, id precibus, morum probitate et labore retardare et remorari posse contenderent (Herodot. I, 91.). Praeterea hae sententiae de immutabili fato eiusque vi in hominum actionibus regendis infinita laudatae fuerunt in gravissimis tantum rebus, quae mentem humanam superare videbantur, praesertim, si quis laude antea non indignus inexspectata libidine abreptus praeceps ruerat. Homerus imprimis puriorem de fato sententiam aequalibus commendare voluisse videtur; non solum enim Iovem cuiusvis hominis sortem pro arbitrio constituere monet, sed etiam in Odysseae primo libro eodem deo hominum temeritatem deplorante haec canit:

ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται!
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

Nec possum facere, quin hunc poetam sortem, quam modo *αἶσαν*, modo *μοῖραν* nominaverit, de vitae fine cuivis homini ex certa quadam lege praestituta saepe intellexisse adiungam moneamque, his ipsis vocabulis antiquissimos Graecos nihil aliud significasse, nisi certum immutabilemque et naturae et omnium rerum ordinem, qui ambitu suo et complexu uniuscuiusque etiam hominis sortem contineret. Sane qui postea vivebant Graeci ad tristiorem de rebus humanis statuendi modum variis, quae perpessi erant, malis excitati fatum severum et ineluctabile crediderunt, quo praeter ceteros poetae tragici ad animos vehementer commovendos usi sunt: sed ne hoc quidem tragici carminis

fatum morum probitati inter Graecos obfuit, sive pietatis studium philosophorum praeceptis, legibus magistratuum virtutumque exemplis creverat, sive illarum tragoediarum spectatores cothurni dignitatem admirantes et maiestatem deorum atque heroum cum stupore intuentes de sua sorte privata cum virorum fortissimorum fato comparanda nullo modo cogitabant. Denique quis est, quin etiamnunc contemplando illorum heroum virtutes et praecepta poetarum audiendo ad maiorem pietatem vitaeque sanctitatem se excitatum et commotum sentiat? quomodo igitur Graeci fato in his fabulis vim suam exercente corrumpi potuissent? Refutatis igitur his de fato querelis supererit ostendere, quam arcte omnes bonae institutiones virtutesque omnes tam singulorum hominum, quam gentium et civitatum deorum numinibus iunctae, ne dicam iis solis nixae fuerint. Nam quantumvis deos Graeci hominibus simillimos haberent, tamen ipsis deorum notionibus perfectissima et sanctissima quaeque complectebantur, quibus intelligendis animoque percipiendis pares erant hominum rudium et incultorum mentes. Quodsi huic summae, quam Graeci cogitare poterant, deorum perfectioni iura hominum singulorum et gentium annectebantur, si omnis officiorum complexio horum tutelae curaeque commendabatur, non solum religionem multum efficacitatis in amore bonorum morum excitando et alendo his opinionibus acquirere, sed etiam haec iura, haec rerum publicarum firmamenta plus roboris hoc modo habere necesse fuit [r]). Ut brevibus rem absolvam, quis est, qui neget, Iovem, quem supplices tueri, iuvare hospites, reos liberare culpa arbitrarentur et *ἱκέσιον*, *ξένιον*, *καθάρσιον* nuncuparent, quem innumeris aliis beneficiis civitates, reges, urbes, familias ornare crederent et

sacrificiis tum publicis, tum gentiliciis colendum propterea statuerent, multum ad mores excolendos valuisse? Nec vero in Iovis laudibus acquiescendum est: quis Vestam focorum in urbibus communium deam, cuius praesidio florebant penetralia harum, ubi publice, quibus is honos datus erat, vescebantur, quis Minervam sapientiae et doctrinarum inventricem huc pertinere ignorat? quis denique Nemesin hic obliviscitur superbiae et invidiae ultricem, modum adhibere rebus omnibus Graecos iubentem: cuius quidem recordatio me ipsum quoque iamiam timentem, ne Vestra patientia abusus sim, dicendi modum nunc quidem definire, sed simul gratiam meritam debitamque non negligere iubet. Est enim profecto, cur et ego et collegae Vos, huius scholae praefecti magnifici et illustrissimi, grata mente colamus et veneremur: Vestro favore hactenus gavisi sumus, Vestrae igitur tutelae etiam in posterum res nostras commendamus, Vobis praesentibus iam spondemus, nos vires omnes nostras ad commoda huius scholae promovenda pro virili parte collaturos. Te vero, Rector gravissime, et Vos omnes, qui collegae muneris nobis esse pergetis, Vos, inquam, oro rogoque, ut quemadmodum iam dudum fecistis, Vestram nobis benevolentiam conservare et consilio, auctoritate, sententia studia nostra in educandis ad virtutem discipulis adiuvare velitis. Ita fiet, quo exoptatius nihil nobis eveniet omnibus, ut haec schola postero quoque tempore stet, crescat, floreat.

COROLLARIUM.

1) Interrogatus a gymnasii nostri Rectore, utrum, quam nuper in munere collegae tertii suscipiendo orationem die IX. m. Ian. h. a. habueram, post ferias vernas publice proponere vellem, nec ne, quamquam vix tanti eam faciendam sentiebam, pietati tamen in Virum optime de me meritum id tribuendum esse statui, ut si mihi, quae ad mentem accurate explicandam pertinere viderentur, addere licuisset, eius voluntati satisfacerem, quamvis persuasum haberem, me in omni re tractanda, nisi discipulis, prodesse non posse, quorum tamen ingeniis apti quid offerre in eiusmodi scriptionibus praeceptoris esse censerem.

b) Quantum valuerint ad Graecorum fabulas de diis conformandas Homerus et Hesiodus, testis mihi est Herodotus libr. II, c. 53. *Ἡσίοδος καὶ Ὅμηρός εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες.* Hunc autem secutus Tzschirnerus in libro celeberrimo (*Fall des Heidenthums* pag. 37.) quae huc pertinere videantur, habet haec: *Homer und Hesiod pflanzten nur eine von ihrer Vorzeit empfangene Göttergeschichte fort, wurden aber dadurch, dass sie den bis zu ihrer Zeit noch wandelbaren Mythen eine festere Form und den Gestalten der Götter ein bestimmteres Gepräge gaben, auch was sie vorfanden, ausschmückten und verherrlichten, die Theologen ihres Volks und gaben dem griechischen Geiste für Jahrhunderte seine Richtung.*

c) Quanta severitate Graecorum religionem et qui eius fundamenta egisse videntur, poetas et praeter ceteros Homerum interdum viri docti vituperaverint, facile cognosces, ubi comparaveris A. Tholuckii disputationem, quae inscribitur: *Ueber das Wesen und den sittlichen Einfluss des Heidenthums, besonders unter den Griechen und Römern, mit Hinsicht auf das Christenthum* (*in Neanders Denkwürdigkeiten aus der Geschichte des Christenthums und der christlichen Kirche B.* I. *S.* 1—245. *Berlin* 1823.). Ibi inter alia haec leguntur: *Welche Einflüsse mussten aus der Vergötterung Homers für die Sittlichkeit hervorgehn! Keiner hat alle Laster und insbesondere die Wollust reizender zu schildern gewusst, als er; keiner die Bedeutung des Lebens niedriger aufgefasst!* Gravem hanc Homeri accusationem, cuius acumen videbitur obtusum, ubi cogitaveris, quantum excusationis contineat in se prisca morum simplicitas, reprobavit etiam Ioannes Muellerus (*Allgem. Gesch. Theil* I. *S.* 47.) his verbis: *ein grosser Sinn athmet in den Gedichten Homers überall, bald sieht man die verderblichen Folgen der Unordnung und Gewaltthätigkeit, bald die Macht der Mässigung und*

Vernunft; Gehorsam und Freiheit, Heldenmuth und Kriegszucht werden empfohlen. Neque aliam fuisse in poetis antiquissimis imprimisque Hesiodo vim ad Graecorum mores, affirmavit Tzschirnerus (*F. d. H.* p. 35.): *Was der fromme Hesiod gesungen hatte von den Göttern, die die Obhut des Rechtes üben und der schnöden Vergehung, von Zeus, dem Eiferer, und von der schweren Vergeltung, die er auflege, das ward auch in folgenden Zeiten nicht vergessen. Zeus war und blieb der Schirmherr der Gesetze und der Rächer des Meineides, Here schützte die von ihr gestifteten Ehen u. s. w. Diese Scheu vor den Göttern zügelte die rohe Leidenschaft, stützte Zucht und Sitte, und förderte häusliche und bürgerliche Tugend.* Neque ignotum est, quanta commoda in Graecorum indolem ex Homeri lectione et amore redundaverint; solebant enim patres, ut filios probos redderent, his carmina Homeri ad verbum ediscenda commendare. Xen. Symp. 3, 5. Leguntur quidem in Homero, quae non omnino pudicitiae apta videantur, sed prisci homines aliter, ac nos, de his rebus, quae naturae legibus convenirent, iudicaverunt. Neque Homero soli hoc vitio verteris, cf. Xen. Cyr. III, 1, 16. ubi Schneiderus, talia, inquit, si quis hodie historiae gravi insereret! quantum a naturae et maiorum nostrorum simplicitate recessimus! Sin vero ex illis carminibus, ut supra dictum est, Graecorum religio tamquam ex fonte emanavit, profecto praecepta morum in poetis postea viventibus nec pura nec laude digna esse potuissent, si hi poetae, soliti Homerum et admirari et imitari, in eo nihil non vile atque impurum invenissent: occurrunt autem in iis multa, quae ne nos quidem quamquam Christi doctrina exculti aut melius excogitare, aut dicere gravius possemus. Ut unum exemplum promam de multis, Stobaeus Tit I. περὶ ἀρετῆς §. 8. (ed. Gaisford) ex Euripide haec refert:

Τρεῖς εἰσὶν ἀρεταὶ, τὰς δὲ χρή σ' ἀσκεῖν, τέκνον
θεούς τε τιμᾶν, τούς τε θρέψαντας γονεῖς
νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος· καὶ ταῦτα δρῶν
κάλλιστον ἕξεις στέφανον εὐκλείας ἀεί.

nec deesse locos, in quibus heroum fortiter et iuste facta tamquam stimuli in augendo virtutum studio hominibus admoveantur, negabis, si contuleris Aristotelis hymnum in virtutem apud Stobaeum T. I. §. 12. in quo praeter alia haec sunt:

Σοῦ δ' ἕνεκ' ἐκ Διὸς Ἡρακλέης
Λήδας τε κοῦροι πόλλ' ἀνέτλασαν
ἔργοις ἀναγορεύοντες δύναμιν.
Σοῖς δὲ πόθοις Ἀχιλλεὺς,
Αἴας δ' Ἀΐδαο δόμους ἦλθον.
Σᾶς δ' ἕνεκεν φιλίου μορφᾶς

'Αταρνέως ἔντροφος
ἀελίου χήρωσεν αὐγάς.

Sed ne nimium pretium huic Graecorum religioni tribuere videar, apponam Tzschirneri verba (*F. d. H.* p. 37.), quorum me veritatem intimo animo sentire fateor: *Verkennen kann man nicht, dass dem Glauben der Hellenen die höchsten religiösen Ideen mangelten, die Idee eines Gottesreiches, eines Systemes sittlicher Zwecke, einer Vollendung der menschlichen Dinge und einer Auflösung des Schicksals, dass ihr Gottesdienst nur Gunstbewerbung und ihr Andachtsgefühl mehr sinnlicher, als sittlicher Natur war.* Hanc igitur puram pietatem veramque dei reverentiam, quam nos Christi disciplinae debemus, Graecis Homerus commendare non potuit, sed quantumvis huic divino dono hominibus offerendo impar esset, eum moribus detrimentum attulisse, nemo contendit, nisi iudex iniquus.

d) Duo sunt Pindari loci huc referendi, quorum alter legitur in od. Olymp. I, vs. 28 sq. ed. Boeckh. (vs. 43—45. ed. Tauchn.), alter in Olymp. IX, 38 sq. (54—57.): prioris argumentum ita comparatum esse videtur, ut poeta multa quidem mirabilia fieri affirmet, verumtamen etiam fabulas a poetis artificiose exornatas hominum mentes subinde inducere, ut falsa credant, quum carminis gratia et dulcedo auctoritatem et decus narrationi afferens incredibilia soleat credibilia reddere, sed posterorum iudicium esse optimum testimonium et hominem decere, quo minor in errore, si forte admissus fuerit, culpa sit, pulchra de diis dicere. In altero carmine Pindarus commemorat Herculis pugnam contra Neptunum et Apollinem et Orcum, sed pro pietate sua talem de Hercule deorum victore fabulam non probans se ipsum ab eius exornatione poetica revocat: conviciari enim diis insipientis esse. (*τὸ βλασφήμως ἐχόμενα λέγειν περὶ θεῶν ἀλλότριον τοῖς σοφοῖς, ἀνοήτοις δὲ οἰκεῖον καὶ τὸ πρὸς λοιδορίαν ἕλκειν τὰ ποιήματα οὐχ ὅσιον* addidit Schol.)

e) libr. IX, pag. 593. ed. Fabr.

πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε,
ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶ,
κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

Neque in hac Homeri Hesiodique vituperatione acquievit Xenophanes, sed eo processit princeps hic philosophorum Eleaticorum, ut Graecos, quod diis formam humanam tribuere solerent, inepte facere contenderet; bubus enim et agnis manus si essent, quibus vel scalpere vel pingere possent numina, hos ait non humanam, sed suam speciem in deos esse translaturos, pariterque impie agere eos, qui dicerent mori vel nasci deos, ita enim effici, aliquando non esse deos, cf. Aristot. Rhetoric. libr. II, cap. 23.

f) Plato de rep. II, pag. 247 b. ed. Bip. *πρῶτον δὴ ἡμῖν ἐπιστατητέον τοῖς μυθοποιοῖς· καὶ ὃν ἂν καλὸν μῦθον ποιήσωσιν, ἐγκριτέον, ὃν δ' ἂν μη, ἀποκριτέον· τοὺς δ' ἐγκριθέντας πείσομεν τὰς τροφοὺς τε καὶ μητέρας λέγειν τοῖς παισὶ καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν.*

g) Hoc ita fuisse, apparet praecipue ex Plutarchi loco, qui legitur in edit. Reisk. Vol. VI, pag. 55. *πρῶτον εἰςάγωμεν εἰς τὰ ποιήματα μηδὲν οὕτω μεμελετημένον ἔχοντα, ὡς τὸ· πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί* (permulta canunt mendacia vates).

h) Non sine ullo morum periculo has deorum numine indignas fabulas a poetis excogitatas a Graecis postea viventibus esse lectas, concedendum est: quicumque enim ipsi mali erant vel alios corrumpere conabantur, deorum malo exemplo usi facilius se ipsos excusare vel aliis de committendis criminibus persuadere posse sibi videbantur. Tam effrenatae in defendenda libidine licentiae exempla inveniuntur apud Terentium (Eun. III, 5, 36—43.) et Ovidium (Met. IX, 496—99 et 554.): nec minus inter Graecos in usu fuisse videntur secundum Aristoph. Nub. vs. 1077 sqq. (ed. Tauchn.); ibi enim ad crimen adulterii diluendum haec dicuntur:

μοιχὸς γὰρ ἢν τύχῃς ἁλοὺς, τάδ' ἀντερεῖς πρὸς αὐτὸν (maritum),
ὡς οὐδὲν ἠδίκησας. εἶτ' εἰς τὸν Δί' ἐπανενεγκεῖν
κἀκεῖνος ὡς ἥττων ἔρωτός ἐστι καὶ γυναικῶν·
καίτοι σὺ θνητὸς ὢν θεοῦ πῶς μεῖζον ἂν δύναιο;

et quid incultae multitudini has de diis fabulas consideranti saepe acciderit, exponit Dionys. Hal. Arch. XI, 20. *ὁ πολὺς καὶ ἀφιλοσόφητος ὄχλος ἐπὶ τὰ χείρω λαβεῖν φιλεῖ τοὺς περὶ θεῶν λόγους καὶ πάσχειν δυοῖν θάτερον, ἢ καταφρονεῖν θεῶν, ὡς ἐν πολλῇ κακοδαιμονίᾳ κυλινδουμένων, ἢ τῶν αἰσχίστων οὐδενὸς ἀπέχεσθαι, θεοῖς αὐτὰ προκείμενα ὁρῶν.* At tametsi haec ita sunt, tamen omnes, qui non gauderent, se tali fabularum poeticarum abusu suam ipsorum improbitatem fucare posse, has poetarum nugas, pro humana deorum natura eorum maiestatem facile dedecorantes, a vera numinum sanctimonia et in puniendis male factis severitate solebant distinguere neque inducebantur, ut crederent, posse iis placere, quae ne homini quidem probo placuissent, cum optimos etiam hortarentur, ut ad deorum eniterentur similitudinem; nam apud Stob. Tit. 3. *περὶ φρονήσεως* §. 39. Sotades poeta haec praecipit: *μιμοῦ τὸ καλὸν καὶ μενεῖς ἐν βροτοῖς ἄριστος, νόμος ἐστὶ Θεὸς, τοῦτον ἀεὶ πάντοτε τίμα*: qua de causa Homerus deos, licet ipsos non ab omni iniuria abstinere putaret, tamen in hominibus iustitiam requirere cecinit (Od. XIV, 83.):

οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν,
ἀλλὰ δίκην τίουσι καὶ αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων·

quod scelerum humanorum odium nisi optimi quique in diis agnovissent, Cicero (de Nat. De. II, 34. III, 39.) virtutem a diis, ab hominibus vitiositatem originem capere non potuisset contendere, nec iis tantum, qui in corporibus humanis essent vitam imitati deorum, ad illos facilem reditum patere dixisset (Tusc. Disp. I, 30.). Horatio autem, si poetae moribus deorum natura describenda plerumque nocuissent, praedicare, quanta carminum vis in puerorum animis sensu recti venustique excolendis esset, neutiquam in mentem venisset, cum tamen in Ep. II, 1 126. haec legantur:

Os tenerum pueri balbumque poeta figurat,
Torquet ab obscoenis iam nunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus praeceptis format amicis.

Liceat mihi denique opinionis meae firmamentum in Wachsmuthii verbis ponere (*Hellen. Alterthumskunde Th.* 2. *Abth.* 2. pag. 211 *u.* 13.): *Die hellenischen Götter hatten den Stand des Glücks, weil sie Götter waren, nicht nach einem höchsten Gesetze, das das höchste Glück aus der grössten Vollkommenheit und Tugend herleitet und von dem, der Pflichtgesetze aufstellt, auch Muster zu sein begehrt; — die Gebote der Götter wurden nur, weil sie von höchster Macht ausgingen, und ohne Ermunterung durch Beispiel der Götter für gültig geachtet, denn an den Menschen liebten Zeus und die andern Götter Recht und Tugend.*

i) Nonnullarum fabularum ipsa argumenta nos docent, studium aemulandi deorum virtutes imprimisque eas, quibus insignis essent, artes in antiquissimis hominibus fuisse: quid enim aliud exprimit fabula illa de Arachnes certamine cum Minerva ab Ovidio (libr. VI, Met. vs. 5—145.) poetico more exornata, nisi Lydiae Phrygiaeque virgines araneolas imitantes texendi artem invenisse operamque dedisse, ut ipsam Palladem, quam huius artis maxime gnaram haberent, ea superarent i. e. summam in ea perfectionem absolutionemque assequerentur. Similiter in illa de Marsya fabula (Herodot. VII, 26. fin. Xen. Anab. I, 2, 8. cuius argumentum id esse videtur, ut ars lyra canendi inter Graecas quasdam gentes aliquando multis invitis tibiam inflandi scientiae anteposita esse dicatur cf. *Böttigers Abhandlung: Die Erfindung der Flöte und die Bestrafung des Marsyas in Wielands attischem Museum Bd.* 1. pag. 279 ff.) rixae Graecorum in Asia, utrum in sacris Magnae Matris, Bacchi aliorumque deorum lyra tibiae, an tibia lyrae praeferenda esset, non descriptae forent certamine Apollinis, lyrae defensoris, cum tibiae perfectore Marsya, nisi optimos homines in quovis animum excolendi studio deorum similitudinem affectare persuasum fuisset antiquitati. Quodsi poetarum fabulas virtutes deorum et heroum aemulandi desiderium in animis humanis excitare potuisse, exemplis ex ipsa historia petitis demonstrare cupiemus, deducemus discipulos ad

Alexandrum Magnum, quem duce Homero tanta Achillis admiratione captum fuisse constat, ut nihil magis, quam similem gloriam gloriaeque praeconem similem cuperet. Nec solum Alexandrum ita sensisse, ostendit Ioannes Muellerus (*Th.* 8. *S.* 4.): *Als die Griechen bemerkten, dass der über alle Furcht und Falschheit erhabne Achilles nach achthundert Jahren noch nach dem trojanischen Kriege im Gedächtnisse der Sterblichen lebe, war kein edel denkender Mann, der von dieser Minute unsers Lebens nicht gern die Hälfte aufgeopfert hätte, um bei seinen Enkeln, Freunden und Mitbürgern das Andenken seines Namens zu stiften.* Itaque quam in diis similitudinem cum viris virtute insignibus prisci homines notione de deo omnibus numeris perfecto nondum perspecta requirebant, hanc illo quidem tempore moribus non solum non obfuisse, sed etiam homines ad divinarum virtutum communionem adduxisse, indicare voluit Schillerus, cum caneret: *Als die Götter menschlicher noch waren, waren Menschen göttlicher.*

k) Mirum quantum sacrificia, quae antiquissimis temporibus ab hominibus diis offerebantur, iis conveniebant, quae ipsi homines cum voluptate accipere solebant. Est enim notum, tantum cibo et potioni inter eos esse tributum pretium, ut quo maiore auctoritate aliquis apud suos gauderet, eo magis omnis nutrimentorum copia in eum conferretur, cuius quidem moris non solum in libris sacris (Gen. 43, 34. 1 Sam. 1, 5.), sed etiam apud Graecos scriptores sunt exempla: Spartae enim regibus altero tanto maiorem cibi partem et in sacrificiis et in mensa publica legitime esse oblatam, narrat Herodot. VI, 57. Graeci igitur primis temporibus se nihil magis gratum acceptumque diis sacrare posse arbitrabantur, quam cibum et potum; hinc apud Homerum omnia sacrificia sunt cibaria, victimae partim ab hominibus comeduntur, partim diis quasi edendae offeruntur, nec desunt libationes, quibus potionis avidi et dii et post deos homines delectentur; ὁλόκαυστα enim, quae ne postea quidem admodum in usu fuerunt, Homerus non memorat, nisi in sacrificiis piacularibus et deorum inferorum sacris (cf. Od. XI, 45 sq. Xen. Anab. VII, 8, 4 et 5. Apollon. III, 1030. 1209. ἀδαίετον ὠμοθετῆσαι), licet dubitare possis, utrum mos equos totos in flumina ad horum deorum gratiam parandam detrudendi (Il. XXI. 132.) simile quid in se continuerit, an id genus τῶν ἀναθημάτων fuerit. Quam sententiam de studio hominum vetustissimorum ea imprimis diis offerenda, quae ipsis iucunda essent, si longius persequeris, quum alimenta antiquissimis temporibus apud plerasque gentes tantum e plantarum copia petita fuisse videantur, facile coniicies, sacrificia incruenta priora fuisse cruentis (cf. Plat. de Legg. VI, pag. 312. c. ed. Bip. *Meiners Geschichte der Religion.* II. *S.* 5 *flg.*), ac revera Penelope (Od. IV, 761.) tantum οὐλάς pro antiquissimo sacrificandi usu Minervae offert. Homeri sane tempore Graeci quum maxime carne

et pane vescerentur, deos cruentis sacris gaudere arbitrati sunt, sed hac quoque aetate et victimae et arae οὐλαῖς (οὐλοχύταις, mola salsa, cf. Buttm. Lexil. p. 191 sq.) tamquam reliquiis ex ultima antiquitate sparsae sunt. Iam tum autem deorum reverentia et aviditas edendi auctae ita erant, ut unam bovem deorum voluptati satisfacere non semper crederent, hinc ortae sunt ἑκατόμβαι, sacrificia numero victimarum insignia, Il, VI, 93. 115. Od. III, 7. 59. Quid quod Iason Pheraeus, Socrati aequalis, tanto deos exhilarandi studio incensus fuit, ut uno tempore boves mille et decies mille victimas minores teste Xenophonte (Hist. Graec. IV. 4.) immolaret.

l) Quamquam Graeci non omnino hominibus immolandis abstinuerunt, tamen hunc usum numquam omnibus laudatum fuisse et postea tantum in nonnullis sacris locum habuisse probabile est. In fabulis equidem vestigia eius non admodum rara inveniuntur, inprimis in Atheniensium civitate: cui enim Chthoniae et reliquarum Erechthei filiarum, quae ut patriam ab oppugnatione Thracum incolarumque Eleusinis tuerentur, iussu populi publice immolatae sunt, filiarumque Hyacinthi, Spartani Athenis habitantis, Minoe urbem obsidente, eamdem sortem expertarum non veniat in mentem? (cf. *Wachsmuth hell. Alterth.* II. 2. pag. 224 ff.). Aliae tamen fabulae facile demonstrabunt, iam antiquissimis temporibus intellectum esse, quam indigna deorum numine talia essent sacrificia: pertinent huc narrationes de cerva substituta in locum Iphigeniae, cum in eo esset, ut haec a Graecis immolaretur, de Phrixo a Iove per arietem servato, cum pater Athamas a noverca falso oraculo deceptus eum huic deo mactaturus esset (cf. Buttmanni mythologus Tom. II. pag. 229 sq.). Videntur igitur Graeci, quos a prima sacrificandi simplicitate postea nimia victimarum copia aberrasse supra diximus, quod diis optima quaeque pro victimis esse offerenda putarent, alio errore etiam ad homines nobiles sacrificandos esse delati; sed haec deos colendi ratio neque antiquo tempore multis placuit et postea, cum Graeci humanitatis rationem habere consuevissent, fere ubique abiecta vel mitigata, in nonnullis tantum locis servata, aut per seditionem renovata est. Negari autem non potest, quod tamquam aliquid singulare et raro usitatum historici proposuerunt, Hali Iovi Laphystio Athamantis posteros (Herodot. VII, 197.), pueros Iovi Lycaeo in Arcadia Lycaone auctore (cum ante hunc tantum liba offerrentur) mactatos et in honorem Apollinis Leucadii hominem quemdam maxime maleficum quotannis in mare coniectum esse (Strab. X. ante med. Ov. Fast. V, 630.). Sed quae huius moris exempla non solum de Themistocle, sed etiam de Achivis Philopoemenis mortem deplorantibus a scriptoribus (Plut. Them. 13. Arist. 9. et Philop. 21. coll. Liv. XXXIX, 49 et 50.) commemorantur, horum alterum ita comparatum est, ut appareat, Themistoclem, nisi coactum Athe-

niensium seditione et furore Euphrantidae, tale quid commissurum non fuisse, alterum autem ab Achivis Messenios, captivos, lapidibus circa sepulcrum Philopoemenis necatos esse nos docet, ne Livio quidem de sacrificio humano disertis verbis dicente: Hanc autem Messeniorum lapidationem non ad sacra facienda, sed ad vindictam sanguine sumendam putaverim esse referendam; non enim cum iis facere possum, qui censent, usum captivos in tumulis bellatorum ab hostibus caesorum interficiendi ad sacrificia pertinuisse: erat hoc potius genus *ποινῆς*, quae pro mortuo exigeretur, genus ultionis illius, quam cognati interfecti cuiusque viri se ab interfectore expetere debere antiquissimis temporibus statuebant: itaque Achilles duodecim Troianos mactavit (Il. XXI, 28.) *ποινὴν Πατρόκλοιο θανόντος*, *ποινὴν* autem numquam sacrorum, sed redemtionis pro caede commissa et vindictae pro tali facinore in malefico exercendae notionem habere, vel ex Il. XIII, 659 et XIV, 483. satis perspicuum esse videtur.

m) Morum turpitudo in ipsis sacris a Graecis aut plane vitata est, aut, si forte in nonnullis urbibus admittebatur, aliunde, maxime ex Asia et Thracia, in Graecorum deorum cultum transiit. Quae enim inter Babylonios in Mylittae cultu atque in insula Cypro Asiaticarum religionum participe teste Herodoto libr. I, cap. 199. acciderunt, ea inter Graecos, qui quodvis crimen in templo quodam vel eius vicinia commissum graviter a diis puniri statuebant (Virg. Aen. I, 41.) locum habere non potuerunt; nec Cottyto dea, licet Iuvenalis Sat. II, vs. 92. eam Cecropiam dixerit, Athenis culta est, quamvis non negandum sit, huius deae a Thracibus excogitatae cultum a Corinthiis et Doricis gentibus esse receptum (cf. Buttm. Mythol. Tom. II. pag. 159—167.); eodem modo *ἱερόδουλοι*, quae libidini inserviebant, non ex Graecorum religione ortae, sed ex Asia in Graeciam translatae sunt (cf. *Wachsmuth hellen. Alterth.* Tom. II. p. 2. pag. 299 sq.), *ἱερόδουλοι* vel *νεωκόροι*, quales Graecorum proprie erant, nec bona fama nec castitate caruerunt, etiamsi Strabo et qui postea scriptores eius auctoritatem sequebantur, Asiae et Africae *ἱεροδούλους* ita cum Graecorum miscebant, ut ex morum turpitudine, qua illae erant, aliquid in Graecas transferrent.

n) cf. Hom. Od. XXII, 413. Notio divinae in puniendis malefactis iustitiae orta videtur inter Graecos ab eo, quod tribuebant diis, studio homines retinendi ab omnibus, quae tantum deorum essent, humano autem generi non convenirent: hinc si quis faceret, quae homini non permissa essent humanarumque actionum fines a diis praescriptos transirent, vel si nimiam quis in terris fortunam aut cuperet, aut possideret, censebant, talem deos superbiam (*ὕβριν*) in hominibus non ferre, sed invidere nimiae in agendo licentiae nimiaeque magnitudini fortunae (*φθονερὸν τὸ θεῖον*). Itaque dii, quem aliter agere viderent, atque ipsi vellent,

malis deterrebant, amabant et augebant bonis eos, qui positos ab ipsis generi humano limites nullo modo violarent. Imperfectas tantum de poenis praemiisve factorum notiones hac ratione oriri potuisse, quivis facile intelligit, tamen ita communes omnibus Graecis fuerunt, ut et Solon leges suas violaturis poenam deorum in hac vita certissime exspectandam minaretur et quicumque laeto rerum suarum statu gauderent, meliores haberentur, quam qui fortuna adversa premerentur cf. Arist. Rhetoric. II, 17. Tom. IV, pag. 240. ed. Bipont.

o) Fatum aeternum, quod effugere nec dii nec homines possunt (libr. I, cap. 91. *τὴν πεπρωμένην μοίρην ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ*), res humanas pro Herodoti sententia regit: summa haec potentia, quae ad notionem unius dei praesagiendam eum adduxerat (*θεός, θεῖον, δαιμόνιον*), modo malos punit (libr. IV, cap. 205.) et superbos deprimit (libr. VII, cap. 10, §. 5. *φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν* et *οὐ γὰρ ἐᾷ φρονέειν ἄλλον μέγα ὁ θεὸς ἢ ἑωυτόν*), idque tanta severitate, ut a posteris poena ob maiorum maleficia repetatur (libr. I, cap. 91. *Κροῖσος πέμπτου γονέος ἁμαρτάδα ἐξέπλησε* sqq.); modo bonis est auxilio et imbecilliores a fortioribus tuetur (libr. VIII, cap. 13. *ἐποιέετό τε πᾶν ὑπὸ θεοῦ, ὅκως ἂν ἐξισωθείη τῷ Ἑλληνικῷ τὸ Περσικὸν μηδὲ πολλῷ πλέον εἴη*); fati autem necessitate cum homo se liberare non possit (libr. III, cap. 43.) eum quamquam dolentem hoc ferre decet (libr. IX, cap. 16.), precibus tamen id potest retardari (I, 91. *προθυμεομένου — ἐπανεβάλετο τὴν Σαρδίων ἅλωσιν*).

p) Apud Homerum, ut in antiquissima Hebraeorum doctrina, notiones de vita post mortem minus sunt excultae et clarae; paucis enim exceptis, quibus aut adscensus in coelum (e. gr. Herculi Od. XI, 601 sq.) sedesve in insulis beatorum (Rhadamantho Il. XVI, 322. Menelao Od. IV, 563.) propter arctiorem cum diis coniunctionem dantur, aut graves poenae propter iniuriam diis allatam imponuntur (e. c. Orioni Od. XI, 572. Tantalo vs. 582. Sisypho vs. 593.), mortui tamquam umbrae in Orco versantur ne minimis quidem viribus praediti vs. 392. quam ob causam ipsi suam conditionem deplorant vs. 487—490.; nisi forte in iis, quae de Minoe, mortuorum iudice, dicantur, vestigia quaedam de poenis praemiisve hominibus post mortem tributis inesse statuas, quamquam verisimile est, omnem illum locum a vs. 567—629. a poeta quodam postea esse additum cf. *Thiersch Urgestalt der Odyssee* pag. 69 sqq. et pag. 72. Attamen Homerus eo bene meruit, quod aequales de vita quadam post mortem docuit, qua doctrina exculta poetae post eum viventes Graecis de mercede eorum, quae in hac vita fecissent, aut iucunda aut ingrata praecipere poterant. Hinc etiam Hesiodus viris virtute insignibus fortunam secundam in his terris, in posteros quoque transeuntem (*ἔργ.* 277—83.) promisit et mortuis habitationem *ἐν μακάρων νήσοισι* concessit (*ἔργ.* 155—71.)

Tragici poetae magnorum criminum poenam ne in Tartaro quidem intermitti contendunt et Eumenides homicidii vel laesae hospitalitatis ultrices etiam post mortem faciunt. Aesch. Eumenid. vs. 273. Quam persuasum fuerit Pindaro de poenis scelerum et virtutum praemiis, quae ferant mortui, facile intelligemus ex od. Ol. II, vs. 62 — 74. ubi poeta divitias virtutibus ornatas optimam rem esse homini affirmat, si quidem, qui eas teneat, futurorum non sit immemor, quae post mortem omnes maneant, futuras maleficiorum poenas et bonorum statum felicem describens. Hanc sentiendi rationem philosophos accurate perpendisse, vix commemorandum est cf. Plat. Rep. I, pag. 153 d. ed. Bip. *τὸν ἐνθάδε ἀδικήσαντα δεῖ ἐκεῖ (ἐν ᾅδου) διδόναι δίκην.*

q) Egerunt de hac dea inter poetas antiquos maxime Homerus Il. XIX, 90 — 95 sqq. et Hesiodus *θεογ.* 230. eamque non solum homines, sed ipsum etiam Iovem ad agendi rationem non satis perpensam inconsideratamque pellexisse contenderunt, ipsi tamen senserunt, quam indigna haec de Ate fabula, quam homines rudes ad excusanda facinora antea commissa invenerant, deorum numine esset: hinc ex Olympo a Iove in terram deiecta traditur et pedisequae ei adduntur *Λιταί*, preces, quarum auxilio pius deorum cultor errati veniam impetrat. Il. IX, 503 — 512. Poetae tragici ita huius deae naturam mutaverunt, ut eam pro voluntate deorum illos homines, quorum superbiam (*ὕβριν*) hi iam perspexissent, ad maiora facinora committenda adducere dicerent, quo celerior eos assequeretur poena.

r) Finem scriptionis faciam Wachsmuthii verbis usus (*hellen. Alterth. Th.* 2. *Abth.* 2. p. 213.): *Es wurde nicht verabsäumt, die Götter, wie sie gedacht wurden, in Alles zu mischen und Jegliches auf sie zu beziehen. Beschützung des Staats durch eine besondere Gottheit und innigere Theilnahme derselben am Ergehen des Staates war Grundlehre. Unter Göttervorstand war überdies jedes Staatsinstitut gesetzt. Wie aber im Ganzen die Gesetze über die rechtliche Ordnung im Staate als von ihnen abhängig angesehen wurden, so wurden allerlei Humanitätspflichten, welche das bürgerliche Gesetz nicht wohl oder nicht genugsam einschärfen konnte, unter den Gesichtspunkt des Götterrechts gestellt und aus diesem empfohlen.*
